



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

Binsfeld, Peter

Avgvstae Trevirorum

VD16 B 5530

Dubia duo hoc loco paucis mouenda & resoluenda sunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41113

ne impunita eorum scelera? eorum tractatus
 contra rempub. communemq; salutem occul-
 ti latebunt, vt indies plures pertrahantur in
 Diaboli societatem? Recurris ad externa indi-
 cia: perquire quando principes huius sceleris
 vili fuerint aut scopas erigere ad causandum
 pluuiam, aut ollam supponere vestibulo ali-
 cuius stabuli, aut lites & minas intentasse ple-
 beis, aut alia opera externa exercuisse, quæ in-
 diciorum vices subeant ad probandum. Hæc
 enim sunt facta vulgarium & vilium persona-
 rum, quæ rus incolunt, & ruri versantur inter
 plebeos. Ibi quandoq; hæc & similia perspici-
 untur indicia. Tollatur igitur via inquisitio-
 nis & processus per denunciations, & alantur
 principes maleficorū, & magistri scholæ Dia-
 boli: & videbitur, cum maximo Reipubl. dā-
 no, quis sit futurus rei exitus. Habeant ante o-
 culos, qui gladium portant, iustitiam, quæ tri-
 buit vnicuiq; quod suum est, bene agenti præ-
 mium & honorem; malè operanti pœnam &
 vindictam: ne si respectu humano omittant
 punire Dei iniurias, ac reipubl. vindicare sce-
 lera, seuerissimam indignationem eius, qui et-
 iam iustitias iudicat, iucurrant.

Dubia duo hoc loco paucis mo-
 uenda & resoluenda sunt.

Primum. *Antestes huiusmodi singula-
 res*

res probent aliquid, ita vt quis possit torqueri ad denunciations eorum, e.gra.

VNVS dicit, quod viderit N. venientem in deaurato curru, alius in nigro equo, alius in hirco, ad congregationem nocturnam, sed *fontes alibi* *resp. 4/5/6* *ph. 1/2/3/4/5/6* *para* dinverso tempore. Videtur quod non: Tatum enim probant mille testes singulares, quatum vnus. Bald. in L. Iurisiurandi. colum. 2. C. de testib. Alexand. in cons. 20. & 81. vol. 4. Marfil. cons. 27. & 28. & alij alibi. & regulariter testes singulares non probant. cap. Tam literis, de testib. c. Cum dilecti. de election. & c. licet causam. de probat. & L. ob carmen. ff. de test. §. fin. His & similibus auctoritatibus quidam persuadere conatus est dictam singularitatem impedire. Sed quia hic loquimur in ordine ad torturam, parum ad rem facit disputare de testium singularitate: tum quia communissima est sententia, quod vnus testis omni exceptione maior, faciat indicium sufficiens ad torturam: tum quia socij criminis, etiamsi sint singulares, faciunt indicium ad torturam in criminibus exceptis, vt tradit ex praxi doctissimarum Curiarum Iulius Clarus lib. 5. §. fin. q. 21. vers. Sed pone. Deinde vt communior est opinio DD. attestante hoc & confirmante Anton. Gabriel. lib. 1. com. concl. conc. 2. nu. 19. in Rub. de testi. testes singulares probant de delicto in genere, vt que esse hæreticum, vsurarium, male-

maleficum, &c. vel quando agitur de probatione actus non momentanei, sed successiui. Quare esse potest, quod maleficus vna vice veniat ad cursum in figura deaurati currus, alia vice in capro, & sic de similibus. Quia Dæmō sicuti dicitur mille artifex: ita etiam versipellis, quod formam subinde mutet.

Dubium secundum.

*An, quando malefici à socijs denunci-
antur, quod ludis Diabolicis & choreis
interfuerint, sociorum denunciations faci-
ant indicium ad torturam, etiamsi non
fiat mentio, quod hominem, aut equum ne-
cauerint, aut damna intulerint?*

QVIDAM distinguunt, & dicunt: si tan-
tum denuncientur, quod congregatio-
ni interfuerint, & ludis, non faciant indicium
ad torturam plures denunciations: si autem
homines, aut equos necauerint, aut damna in-
tulerint, tunc faciant indicium. Sed hæc di-
stinctio tantum narratur, nec vlla ratione aut
fundamento stabili fulcitur, imò videtur im-
plicare ignorantiam negocij eius, quod arte
Diaboli ibidem geritur. Et probatur contra-
rium. Malefici aut sunt rei læsæ maiestatis di-
uinæ, quando in cursu & congregatione sunt:
aut non sunt. Si rei sunt læsæ maiestatis diuinæ,
vt cer-

vt certè dicendum est: Nam in hoc grauissimè
 diuinam maiestatem lædunt, quod Deo & re-
 gno suo abrenunciant, pacta cum aduersario
 contra Christum & eius exercitum contra-
 hunt. Quis enim nescit, omnem societatem
 cum Dæmone esse homini interdictam: cum à
 principe vniuersi, tali hosti perpetuum sit in-
 dictum bellum? S. Thom. 2. 2. q. 95. artic. 2. ad
 vlt. Caietan. ibid. Domini. Sotus lib. 8. de iust.
 & iure, q. 3. artic. 2. Hostes autem regis & regnū
 dicuntur, quibus à Rege indictum est bellum,
 per notata in L. Si quis ingenuam. §. fin. & L.
 Hostes. ff. de captiu. Barto. ibid. circa fin. Mar-
 tinus Laudensis in tractat. de bello. §. 5. & latius
 Boërius cum alijs in decis. 178. num. 1. Sed so-
 cietas subditi cū hoste regis, aut principis, siue
 consummata, siue inita solū sit, facit aliquem
 reum læsæ maiestatis, vt rectè Caietanus 2. 2. q.
 95. artic. 4. docet, & text. L. Quisquis. C. ad L.
 Iul. Maiest. cum DD. conuincit, quod etiam
 conatus in crimine læsæ maiestatis puniendus:
 quem conatum Caietan. appellat societatem
 initam, nec dum consummatam. Reo autem
 læsæ maiestatis tā diuinæ quàm humanæ mul-
 tō magis creditur, quàm latroni contra latro-
 nem: Quia dicta crimina, vt omnibus in con-
 fesso est, multō magis sunt priuilegiata; quàm
 alia excepta, ex cap. in fidei fauorem, de hæret.
 in 6. & d. L. Quisquis, & alijs ibid. Magis autem
 priuilegiata præcedunt. §. Sanè, cap. Accusa-
 tus.

tus de hæreti. in 6. Ergo multò magis denunciantes merentur fidem, si quem in cursu & congregatione fuisse denuncient, quàm si dicerent, ipsum hominem occidisse, aut equum veneficio infecisse. Nisi quis dicere velit, quod equum interficere aut vaccam occidere, sit crimen grauius, & magis exceptum, quàm Deum abnegare, & cum summo aduersario fœdus inire. Quis autem ignorat, neminem talem conuentum & congregationem frequentare, qui non prius Deum abnegauerit, pacta cum Dæmone contraxerit, societatem cum eo inierit, & ad omne malum animum habuerit paratum? Quid autem ita professioni nostræ fidei repugnat, sicut DEVM expressis verbis abnegare, & professioni in baptismo factæ abrenunciare, Diabolo fidem & ministerium addicere? Ergo qui in cursu & ludis diabolicis iam apparent, sunt perfidi in fide & religione: ergo socij eorum eos denunciantes plus merentur fidei, quàm si dicerent eos equos, aut vaccas, aut etiam hominem occidisse. Nam si priuilegium fidei est in d. cap. In fauorem, quod socij criminis, & alij testes inhabiles possunt testes esse contra participes in crimine: Quomodo plus fauoris habet latrocinium hominis, aut veneficiû equi? Nunquid priuilegium, cum sit quid fauorabile, debet aliquid operari ultra ius cômune? cap. In his de priuilegijs. Gloss. Bernard. Panor. mit

mit. Anton. cum alijs ibidem. & lib. 6. eodem tit. cap. Si papa. & l. i. ff. ad municipales, & de incolis cum Gloss. Quid ergo operatur priuilegiū fidei concessum. Si socij contra latrones, vaccam aut equum interficientes merentur fidem, & non contra eum, qui iam fidem abiurauit, religioni nostræ bellum indixit, communioni sanctorum valedixit? Quæ communiter omnia præstiterunt omnes, qui in congregatione diabolica apparent, vt constat confessionibus innumerabiliū hominū vtriusq; sexus & status. Imò vt hoc addam, de quo aliās dubitauī, tantum operatur fidei fauor, d. c. In fidei fauorem, quod plures quàm duo testes inhabiles, & minus idonei, in negotio fidei & hæresi faciunt plenam probationem ad condemnationem, & pœnam ordinariam criminis hæreseos, quando ex circumstantijs, & coniecturis, & personarum qualitate verisimiliter præsumuntur verum deponere. Quam sententiam dilucidè verba c. In fidei fauorem, videntur probare: Quia vt manifesti iuris est, priuilegium sic interpretandum, vt aliquid operetur, & hanc doctrinam securam & in praxi seruandam ex alijs approbat Ioseph. Mascard. de probat. volum. 2. Concl. 857. num. 39. Si quis autem neget maleficos reos esse criminis læsæ maiestatis diuinæ, quando sunt in ludis diabolicis, & congregatione, hic poterit etiam negare prima principia. Cogitet talis, qua
ratio-

ratione eò deueniant, quæ pacta & acta præcedant, quid ibidem faciant, cui obsequium & famulatum præstent, quis finis tragediæ. Quæ soleant ibidem tractari contra Deum, rem publ. & commune bonum. A communiter accidentibus argumenta ducuntur non solum à Logicis & Theologis, sed etiam à iuris peritis. Vnde secundum eos locus à communiter accidentibus facit indicium indubitatum. Bald. in additionib. ad Specul. in tit. de sentent. & his quæ ipsam sequuntur, & Marsil. in pract. Criminal. §. Secunda. num. 36. Et talia confitentur ibi fieri facta, & communiter tractari, non solum vetulæ & melancholicæ mulieres, iam ratione & viribus destitutæ, sed etiam iuuentulæ, non solum fœminæ, sed etiam viri, iuuenes, adolescentes, & ætate graues, docti, & rerum experientia conspicui, etiam postquam iam se Deo suo iterum reconciliarunt, dispositi ad mortem, & pœnam pro suis sceleribus subeundam cum magna detestatione scelerum, & vt communiter confitentur, ita reperiuntur esse vera, si fortasse vnus sit, qui fallatur, sicut in omnibus rebus moralibus & actionibus humanis accidit quandoq; error, mille reperiuntur dicere veritatem, vt experientia testis est, quæ est rerum magistra. cap. Quam sit. cum Gloss. de electio. in 6. & cap. Statutum, de rescript. eod. lib. & multa experientia cognitio veritatis insequitur. Bald. in cap.

cap. Contingit, de dolo & contum. & Marfil.
 in pract. Crimin. §. Principium, num. 4. & im-
 perator in Authent. de appellat. Ex rerum ex-
 perientia inuenimus. Et certum est in hoc ne-
 gotio, si multi experientia cognoscerent, & ab
 eis audirent, qui experti sunt cum suis circun-
 stantijs rerum, personarum, temporum & lo-
 corum, non somnia dicerent: si hominibus
 expertis in sua arte non est credendum, à qui-
 bus rerum veritas inquirenda: Peto, quare in-
 experto credendum, quod terminis suæ artis
 non continetur? Quia neq; scientiam, neq; ex-
 perientiam habet, nec meretur fidem in his:
 vnicuiq; enim artifici in sua arte credendum
 est Sic profectò in hac misera secta credendum
 est expertis. Hi sciunt quid ibi agatur, quæ ne-
 gotium præcedant, sequantur, & comitentur.
 Miserum enim est, & à ratione alienum, si ego
 dormiens velim dicere, me dormiente nemi-
 nem vigilare, nec velim credere dicentibus a-
 lijs, se vigilasse in alio loco, cum circumstan-
 tijs locorum, personarum, & rerum actarum:
 Sic profectò etiã ceteri sunt, qui dicunt esse som-
 nia, & in somno tantum accidere, quæ homi-
 nes vigilantes vnanimi consensu & magna cõ-
 stantia seruatis circumstantijs omnibus, non tã
 in commodum suum, quàm etiam contra se
 confitetur fieri, & facta esse. Prædicta ergo di-
 stinctio nihil habet fundamenti, sed meritò
 reiicienda est, cùm rationi & iuri aduersetur.

Y

Ex

Ex proxima Conclusionē & alijs infero
quædam in hac materia:

*Ergo non
simpliciter*
Primum. Cæteris paribus, in hoc enor-
missimo & occultissimo crimine, contra quo-
rumdam falsam opinionem, maiorum virium
esse denunciations talibus circumstantijs
fulcitas, quales posuimus, omnibus alijs in-
dicijs: tum quia alia vt plurimum sunt simpli-
cia, leuia, & remota à substantia actus: At de-
nunciations naturam negotij & circumstan-
tias in omnem euentum aperire possunt. Id
quod ex definitione indicij confirmatur. Di-
citur enim ab indicando, & est medium intel-
lectuale veritatis eliciendæ, ex aliqua singula-
ri circumstantia insurgens, ex L. Indicia, C. de
rei vindicatione, & L. fin. C. de probat. quæ
descriptio multò fortius conuenit denuncia-
tionibus, vt patet intuenti. Quare rectè de-
nunciationem sociorum in genere, Constitu-
tio Caroli V. in arti. 31. refert in numerum
indiciorum, eamq; ob causam etiam inter in-
terrogationes ad maleficijs reos adiungit, vt
interrogentur de magistro, à quo didicerint.
in art. 31. Tum etiam, quia omne indicium,
iuxta doctrinam Barto. in L. fin. ff. de q. ab om-
nibus receptam, regulariter per duos testes
probari debet. Sed denunciations fiunt co-
ram iudice, notario, alijsq; adiunctis. Denun-
cians enim ipse circumstantias explicat & caus-
as scientiæ, è quibus testis dictū magnas vires
sumit

sumit, reddit. Præterea semper vt plurimum denūciationes aperiunt viam iudicijs, & vltiori inquisitioni. Tandem, quia in hoc crimine, sicut actiones communiter in grauioribus sequuntur operationem Dæmonum, & non maleficorum; ita indicia nullam habent naturalem coniunctionem cum effectu, quare faciliè possunt elidi.

Secundum illatum: Non esse iuricanonico, ciuiliq; praxi, rationi; doctissimorumq; virorum authoritati consonum; id quod meminime à quodam Iurisperito audiuisse (seriò an ioco dictum, nescio) se nihili facere etiam mille denunciationses.

Tertium: siue hoc crimen consideremus vt Ecclesiasticum, siue vt seculare; iustissimè & rectissimè Iudices procedere per denunciationses ad inquisitionem & torturam. Ad Ecclesiasticum Iudicem enim pertinet, quatenus aut hæresis est, aut hæresin sapit, vt tertio decimo præludio demonstratum est: & sic per participes criminis potest procedi, vt patet ex Bulla Innocentij Octauij præfixa malleo maleficorum, & ex cap. In fidei fauorem: & cap. Accusatus. §. Sanè. de hæreti. in 6. Ad secularem verò; quatenus malefici latrocinia exercent, in perniciem hominum conspirant, vineas & agros destruunt, tractatus contra Rempubl. instituunt, animalia in vtilitatem hominum creata enecant, veneficia intentant,

tis, sine omni alio indicio? quam communem sententiam sequitur Constitutio Criminalis Caroli V. in art. 30. Tunc enim ille testis supplet locum indiciorum. Atq; sic in præsentî Index non incipit à tortura sed denunciations sternunt viam inquirendi veritatem, per medium torturæ, & eandem præcedunt.

Sextum: Ex dictis Conclusionibus inferendo, ad argumentum Aduocatorum criminis maleficorum, quo arguunt huiusmodi de se confessos esse criminosos & infames, ex confessione proprij criminis: ergò eis in hoc casu non esse credendum; respondeo, negandam esse consequentiam. Quia, vt euidenter probatum est, possunt esse testes, quando veritas aliter haberi non potest; & in promptu ratio est, probationis difficultas, ne via probandi tollatur, & enormissima crimina impunita in occulto lateant. Si ergo testes esse possunt, secundum omnium Doctorum sententiam: quomodo eis non erit credendum? testibus enim fides debetur. Ad hæc, vt infames, serui, domestici, socij criminis, non admittantur in testimonium; nunquid inductum est iure positivo? Sic enim attestantur Philipp. Corneus. in 4. volum. consil. 241. in litera F. & eod. lib. consil. 259. in eadem litera. Philippus Francus in cap. In fidei fauorem. in 6. De hæreti. Petrus de Ancharano in c. Pastoralis: de re iudicata.

& Andreas Barbatus in tractat. de testib. nu. 42. & ratio suadet. Idem ergo ius, quod has exceptiones induxit contra testes tempore commoditatis, quando alij haberi possunt, ex natura rei & actus, admisit, vt exigente necessitate, ne veritas in multorum damnum occultetur, possint testimonium ferre sublata testium solemnitate, quæ iuris positiui est, & relicta eandem conditione in iure naturali & diuino. Sic enim locum habet quod cōmuni pro- uerbio dicitur: Necessitas legem non habet. Præterea infamia quandoque etiam purgatur tortura, vt suprâ significatum est. Tandem constat ex ll. & canonibus & praxi, infames admitti, vt in crimine hæreseos, latrocinij, læsæ maiestatis, &c. Militat hoc ergo argumentum etiam in dictis & similibus. Dicendum ergo est, de iure positiuo regulariter non admitti infames, quando necessitas non vrget, & haberi possunt testes idonei & habiles.

odap.
inimici
partibus
sub d. 1. 1.

Dices: cūm alij admittantur testes inhabiles, quare inimici repelluntur in hoc crimine, sicut in alijs? Certissimum est, quod testimonium inimici non recipitur etiam in criminibus exceptis, vt tradunt Bartol. in L. In quæst. ff. ad Legem Iuliam Maiestat. Marfil. consil. 20. num. 27. Angel. in L. Qui accusare. ff. de accusat. Bald. in L. in his. §. 1. in fine. ff. Solutio matrimonij. Romanus in L. Si vero. §. Si viro. ff. eod. Panorm. in cap. Inquisi-

quisitionis. de accusat. Crauett. consil. 9. numer. 6. Menoch. de arbitrar. Iud. quæst. lib. I. q. 28. Iosephus Mascard. de Probatio. volum. 2. Conclus. 899. num. 2. & alij alibi, per text. singularem in cap. Per tuas. de Simonia & in cap. Cum P. de accusat. Unde generale est, quod nec etiam in criminibus atrocissimis inimicus admittatur. Imò nec etiam inimici testimonium facit indicium ad torturam, iuxta Baldum in consil. 36. incipiente, præsupposito statuto. lib. 4. Marfil. consil. 15. numer. 6. Iacobus Menochius in lib. I. de arbitrar. Iud. quæstionib. quæst. 28. num. 5.

Respondeo nunc dubio. Quædam exceptiones testium siue inhabilitates sunt iuris naturalis, vt quod puer non habens vsum rationis, furiosus & inimicus non admittantur. In inimico naturaliter ira & odium impediunt animum, ne possit cernere verum: Quædam sunt à lege inductæ, ex quadam congruentia, vt quod infamis, seruus, familiaris, &c. non possint testimonium ferre. Nunc, propter criminum enormitatem, & probandi difficultatem, Lex & conditor legis dispensant, in defectum aliarum probationum, vt exceptiones à lege statutz non impediunt. At in ijs, quæ sunt legis naturalis, non dispensatur; cum non sit potestas. Quare benè docent Ancharanus, Francus & Barbat. in loc. cit. Pontificem non

Y 4 posse

posse dispensare, vt inimicus testimonium ferat.

Verùm quoniam aliqui minus docti recipiunt exceptionem cuiuscunque inimicitia, caussasq; etiam minimè validas ab Aduocatis in nostro crimine adductas admittunt, hoc in loco libet aliquid pro latiori intelligentia addere de inimicitia, eiusq; caussis, quæ testimonium infirmum & nullum reddunt. Atq; ante omnia præsupponimus, quod cùm crimen maleficij grauissimis sceleribus annumeretur, maximè autem hæresi in multis æquiparetur, quæ est ratio inimicitia in hæresi & alijs atrocissimis, ea etiam est conditio in hoc atrocissimo peccato. Nunc in primis obseruandum, quod quando loquimur de inimicitia repellente à testimonio in criminibus, intelligendum de inimicitia capitali. per cap. Pertuas, de Simonia, & licet Heli, ibidem. c. Repellantur, & cap. Meminimus, de accusat. 3. q. 5. cap. 2. Archidia. in cap. Accusatus. §. licet. de hæret. lib. 6. Eymeric. in 3. part: directorij Inquisit. q. 67. Francis. Pegna ibid. comment. 116. Mascari. de Probatio. vol. 2. Concl. 898. Malleus malef. in 3. par. q. 5. Ioan. Bodin. lib. 4. de magorum Dæmonomania, cap. 2. & alij communiter alibi. Quæ autem inimicitia capitalis sit, ad hunc effectum iudicis arbitrio relinquendum tradunt Felin. in cap. Cùm oporteat, nu. 5. de accusat. Marian. Socin. in d. ca. Repellantur. Menoch.

noch. lib. 2. de arbitr. Iud. qq. cas. no. num. 3. allegando etiam Grammat. in conf. 57. num. 9. & aliqui alij recentiores. Quoniam autem Iudicis arbitrium formandum est in re expressè non cauta in iure, secundum Iuris peritorum scientiam, planius proponendum, quid DD. circa hanc materiam sentiant. In primis autem censetur inimicitia capitalis, quando mors inter testem, & inter eum contra quem deponere intendit est illata, aut intentata, seu ea quæ via sunt ad mortem, vt vulnera graua & lethalia, vt docent Eymeri. in 3. part. directorij in tit. de defensionib. reorum, & Francisc. Pegna Commentator ibid & latius infra in q. 67. comment. 116. vbi eruditè hanc materiam discutit. Et plenius id expressum est legibus septipartitis Hispaniæ. l. 22. par. 3. tit. 16. quam legem sic latine Pegna reddit: Prohibemus ne quisquam, qui magnam gerit cum altero inimicitiam, contra illum in aliqua causa possit esse testis; vt si inimicitia sit contracta ob sanguineos occisos: aut quia testis conatus est occidere eum, contra quem vult testificari: vel accusauit eum de delicto, quod si fuisset probatum, sequeretur vel mors, vel membri abscissio, vel exilium, vel amissio maioris partis bonorum: nam ob singulas ex causis prædictis non potest vnus contra alterum esse testis, durante inimicitia. Hæc legis sententia est. His addere possumus DD. sententiam,

Y 5 qui

qui docent ex solis minis de occidendo oritur
 capitalem inimicitiam. Alexand. in conf. 14.
 incip. Ponderatis narratis. lib. 3. Angel. in conf.
 261. incip. Ponderandum. Accurt. in L. Licet.
 verb. Capitales. ff. de recept. arbitr. Marsil. in
 L. 1. §. Præterea. ff. de quæstionib. Panormit. in
 d. cap. Repellantur. num. 4. de accusat. Car-
 din. & Ioannes ab Anania in cap. Cùm opor-
 teat. eodem titul. Iosephus Mascard. vol. 2.
 de Probatio. Conclus. 898. nume. 14. & a-
 lij alibi. Quod maximè locum habet, quan-
 do minas intentans, potens est ad exequen-
 dum minas, & consuevit easdem exequi, vt
 Ioannes ab Anania, & Marsilius declarant.
 Quod etiam inimicitia capitalis oriatur, ex
 eo quod quis alterum accusauit de causa ca-
 pitali, exempli causa, de crimine homicidij,
 læsæ maiestatis, proditionis, nefandi peccati,
 &c. text. in L. Qui cum maior. ff. de bo-
 nis libert. Glossa in L. Licet. verb. Capi-
 tales. ff. de recept. arbitr. & Glossa in §. I-
 tem propter inimicitias. verb. Si capitales.
 Institut. de excusat. tutor. Panormitanus in
 d. cap. Repellantur, & in cap. Accedens, de
 testib. Card. Zabarella in d. cap. Cùm opor-
 teat, numer. 12. Bartolus L. 1. ff. de his qui-
 bus vt indign. & in L. 3. in princip. ff. de te-
 stibus. Marsil in d. §. Præterea, & Doctores
 in L. Liberi. C. de inoffi. testament. Mas-
 card.

ard. in d. Conclusionem, num. 16. & alij alibi passim probant. Atque hoc locum habet in quocunque crimine, ex quo infamia nascitur, & quò probato, imponeretur pœna mortis, abscissionis membri, publicationis omnium, aut maioris partis bonorum, aut exilij, vt ex dictis iuribus & Doctoribus in specie colligunt Mascard. & Franciscus Pegna loc. cit. Præterea inimicitia capitalis præsumitur quando nascitur ex eo, quod quis mouit alicui Controuersiam & litem de omnibus bonis, aut eorum maiori parte. Panormitanus in d. cap. Repellantur, num. 4. Ananias in d. cap. Cùm oporteat. numer. 6. Felin. in cap. Quoties. colum. 2. de testibus. Bartol. in l. 3. §. fin. ff. de adimend. legat. Bald. in L. Parentes. C. de testib. Alexand. in consil. 99. incip. In caussa accusationis, lib. 1. Faber in d. §. Item propter inimicitias. Crauetta in consil. 31. numer. 3. & in consil. 75. numer. 1. Menoch. lib. 2. de arbitrar. Iudicum quæstionib. casu 110. Pegna & Mascard. vbi supra. Ratio duplex assignari potest. Vna est, quia temporalia & diuitiæ cùm sint necessariæ ad vitæ conseruationem, sunt quasi secundus sanguis, & loco sanguinis. Glossa cum textu in Legge Aduocati. Cod. de Aduocat. diuersor. Iudic. Bald. in L. in tuis. C. de oper. libert. Marsil.

Marfil. in d. §. Præterea, num. 42. Iason in l. Nec
 quicquam. §. Vbi decretum, nu. 2. de offi. pro-
 consul. Petrasancta singul. 73. Altera ratio,
 quoniam causa pecuniaria ardua, utpote
 quando controuersia est de vniuersa substan-
 tia, aut maiori eius parte; æquiparatur causæ
 criminali. Bald. in l. parentes. C. de testib. Mar-
 fil. in d. §. Præterea. Andreas Barbat. in conf. 3.
 incip. Clementissimi Dei Patris. num. 24. & in
 conf. 16. incip. Præclarè scripsit, num. 10. lib. 2.
 utrobique allegans Petrum Ancharan. in conf.
 26. Menoch. in d. casu 110. num. 5. Mascard. in
 d. Conclus. 898. nu. 10. & alij alibi. Si ergo ini-
 micitia orta ex causa criminali & capitali red-
 dit testem inhabilem, etiam eundem effectum
 obtinebit causa ciuilis & pecuniaria, quæ cri-
 minali æquiparatur. His additur quod etiam
 ea inimicitia capitalis censeatur, quæ ex graui
 iniuriarum prolatione originem trahit. Bald.
 in c. Veniens, de iureiurando. Iason. in l. Pro-
 curatoribus. C. de procurat. Marfil. in conf. 3.
 incipien. Sæpè ac sæpius decreui. nu. 12. Fran-
 Pegna in d. Comment. 116. causa 8. Mascar. vbi
 supra num. 24. Quæ autem iniuriæ sint verba-
 les, docent DD. in l. 3. ff. de lib. & posth. & In-
 stit. de iniurijs. §. 2. & nos latius alijs in Com-
 mentario super titulo iuris Canonici de iniu-
 riarum, Deo fauente, Anno sequenti 1597. ty-
 pis commitemus. Ad has inimicitias capitalis
 ori-

origines aliæ causæ, quas alijs, exactius explicat Pegna, & post eum Mascari. reduci possunt. Hæc de inimicitia vera sunt, durante ea: Si autem antiquitus inimicitia fuerit, quæ reconciliatione sublata, & obliuioni tradita, aut amicitia signis oblitterata, ita vt nulla veteris odij vestigia supersint, nõ potest opponi exceptio ratione inimicitia. Ex antiquitate enim temporis præsumitur obliuio. Si autem is qui dudum fuit inimicus, recenter sit reconciliatus, adhuc in criminibus non potest esse testis. cap. Accusatores, r. 3. q. 5. Accusatores, inquit Anacleus Pontifex, & testes esse non possunt, qui ante hesternum diem, aut nudius tertius inimici fuerunt: ne irati nocere cupiant, ne læsi se vlcisci velint. Gloss. in c. Per tuas. de Simonia. Innocent. & Panormitanus in cap. Cùm oporteat. de accusat. Bald. in margarita, in verb. Testis. vers. Testis inimicus. Iason in L. apertissimi. C. de Iudi. Marfil. in L. 1. §. Præterea, num. 4. & 5. ff. de quest. & post alios plures Dida. Couarr. practi. qq. cap. 18. num. 3. Mascari. vol. 2. de probationib. Conclus. 857. à num. 47. Fran. Pegna in d. Comment.

Dicit iterum hîc aliquis; An minor testimonium in nostra materia facere possit indicium ad torturam? cùm experientia constet, quod malefici aliqui pueros & puellas ad conuentus suos ducant: de cuius rei certitudine refero me ad ludicum processum, & communẽ huius

*An minor
vennes con-
tra malefi-
cos testari
possint.*

huius ciuitatis Treuirensis scientiam, cui se opponere summæ dementiæ & pertinaciæ est. Non defunt docti viri, qui existimant testimonium minoris facere indicium ad torturam. Francisc. Brun. de indicatijs & tortura. i. par. q. 2. nu. 18. Alberi. in tractat. de testib. i. parte. §. videndum. nu. 10. Lancilot. loc. cit. num. 70. & confirmatur ad propositum: in crimine læsæ maiestatis in testem admittitur minor 14. annis cum tormentis, ex mente Bartoli, Marsilij & aliorum, in L. de minore. ff. de quæstio. Non tamen eo modo torquetur minor, quo maior. Minor terroribus mouetur, vel ferula, aut habena cæditur: & hoc ad illum effectum (vt tradit Bartolus) vt faciat indicium.

In contrarium sunt Marsilius in d. L. de minore, & alij, & Iulius Clarus lib. 5. §. fin. q. 24. quod minores possint examinari, vt profint ad inquirendum & veritatem indagandum, præsertim in criminibus atrocioribus, & quando aliter veritas haberi non potest. Proinde iustissimè faciunt nostri iudices, in hoc enormissimo & occultissimo crimine, quod minores examinēt, ad accipiendum instructionem pro latiori inquisitione, & eorū dicta, secundum doctorum sententiam, faciūt aliqualem præsumptionem, quæ si alijs indicatijs iuuetur, auget indicatiū ad torturam. Quare existimo diuina prouidentia contingere quæ
d. q.

doq; vt cū malefici innocentes pueros seducere volunt, puerorum simplicitate capiuntur, vt eorum consilia dissipentur & reuelentur.

Septimum illatum. Cū masculinum non concipiat fœminum in exorbitantibus à lege communi, & quando differens est ratio, vt probant aliorum authoritate Alexand. 2. part. consil. 166. incipiente. Animaduersis. & Ioannes de Cirier in lib. 2. de primogenitura, art. 5. num. 5. cuius libri habentur in 8. volum. Oceani iuris, & nostræ Conclusiones in masculino genere ponantur; in fœminino propter diuersitatem rationis extendo, neminem esse torquendum, nisi ad minimum à tribus vel quatuor sit denunciatus; nisi alia indicia concurrant. Quia testimonium virorum regulariter præfertur testimonio fœminarum. parnormitan. in cap. Forus. de verbor. significatione. Marfil. in cons. 51. nu. 42. & in cons. 65. nu. 45. & mulieri non est tanta fides adhibenda, quanta masculis, ob fragilitatem sexus. Lancifrancus in tract. de deposit. testium, nu. 110. §. Et primò quæritur. Decius in L. fœminine. ff. de regul. iuris. Conrard. Lancilot. loc. d. num. 75. qua de causa numerus debet supplere defectum.

At obijcis: Cū secundum iura & Doctores, infames & socij criminum admittantur in testes, in defectum aliorum, quando aliter

veritas

veritas haberi non potest; quomodo per huiusmodi testimonia non proceditur ad condemnationem, sed tantum ad torturam? Sit ergò.

Septima & vltima Conclusio. *Quamuis communiter Doctores secundum iura tradant, infames & socios criminis admitti in testes, iuxta prædictam conclusionem: tamen securius est dicere, quod non admittantur ad condemnandum, sed tantum ad torturam inferendam.*

HANC Conclusionem ponit Salicet. in L. Cunctos populos. C. de summa Trinit. & fide Catho. Idem ibidem tenent Bald. & Iason in 1. lectura, à num. 70. & in 2. lectur. num 50. & 51. Lanfranc. in tractat. de depositionibus testium, à nu. 102. Atq; hi omnes Doctores Bartolum, qui in d. L. obscure loquitur, nu. 4. in hunc sensum interpretatur. Chassaneus super Consuetud. Burgund. Rubr. 1. §. 5. num. 123. versic. Et quantum ad laicum. Hippol. Marfil. in pract. Crim. §. Diligenter. num 3. Anthon. Gabriel. Roman. lib. 1. communium Conclusionum, Conclus. 7. num. 7. Iulius Clarus lib. 5. §. fin. q. 21. vers. Sed pone, quod non vnus tantum. Atq; sic in praxi seruari in senatu Neapolitano, Curia Parisiensi & alibi tradit ex
Docto